

CCXLIII.

Anno 1738. die 24. Martii. Viennae.

Carolus III. Rex Communitatem Sichelburgensem a tricesimae praestatione, quoad sibi necessaria, vi obtenti ab eadem Communitate privilegii, liberam dicit.

CAROLVS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij ac Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Ex demissa Cancellariae nostrae Austriaco Aulicae Repraesentatione informamur, qualiter Communitas Sichelburgensis a modernis Arendatoribus & Tricesimatoribus in antiquis suis per Nos Clementer Confirmatis Privilegijs in eo novissime turbata atque laesa fuerit, quod de omnibus & singulis illuc introducendis Mercibus Telonium sive Trigesimam earundem partem indiscriminatim persolvere debeat, aut hoc denegato, diversa Ejus sequestrentur pecora; unde graves jam Rixae, Conflictus, atque Caedes mutuae subsecutae fuissent. Quibus malis oportune provideri cupientes, Camerae nostrae Aulicae benigne demandavimus, quatenus memorata Communitas, vigore Privilegij sui, ab ejusmodi Tricesimae praestatione, quoad sibi necessario introducenda Consumptibilia penitus liberetur, respectu vero sui aliorum agendi et instituendi Commercij, praecipue praesentis Belli tempore, pristina & hactenus solita moderata Telonij praestatio observetur. Quam benignam Resolutionem atque Ordinationem nostram in praemissis interventam, Fidelitatibus Vestris ad Statum notitiae Clementer intimantes, Iisdem in reliquo Gratia et Clementia nostra Caesareo-Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima quarta Mensis Martij Anno Domini Millesimo Septingentesimo Trigesimo octavo.

Carolus m. p.

Comes Ludovicus Batthyani m. p.

Petrus Végh m. p.